

et libere adhuc ab homine fieret. *Ad 3<sup>am</sup>. R. D.* Vota non esse valida de vitandis venialibus deliberatis *N.* etiam indeliberatis *C.* *Disparitas* est, quia primum est moraliter possibile, non vero secundum; cum vero votum non det vires morales, nec potest obligare ad id, quod eas excedit, et fit occasio lapsus.

*Nec dicas 4<sup>o</sup>.* Non potest dari necessitas *physica* licet vaga et indeterminata ad peccandum, quia alias formaliter non peccaretur, ut liquet in conscientia *perplexa*; ergo nec moralis, quia sicut *physica*, sic etiam hæc fieret determinata.

*R. N. Cons. Disparitas est,* quia necessitas *physica* est intrinseca ac antecedens; et quamvis vaga foret, homo tamen vi illius non esset liber ad utrumque peccatum actu vitandum; adeoque non peccaret formaliter, ut patet in exemplo *perplexi* allato: e contrario necessitas moralis vaga, quamvis fundetur in volubilitate voluntatis, non est tamen intrinseca et antecedens, sed extrinseca duntaxat ac illativa, et relinquit libertatem solum imperfectam ad singula distributive et determinate vitanda, adeoque unum ex his committendo formaliter saltem venialiter peccatur.

323. *Observa I.* Ab universali hac assertionem præter Christum excipitur B. V. Maria, ut liquet tum ex can. Concilii TRIDENTINI, tum ex loco S. AUGUSTINI ex L. de nat. et gr. c. 36. aliisque Patribus universim eam a peccatis excipientibus.

Neque huic privilegio *obstat 1<sup>o</sup>.* quod potuerit orare orationem Dominicam etiam quoad illam petitionem: *Dimitte nobis debita nostra*; nam et hoc orare potuit imprimis nomine totius Ecclesiæ; et juxta aliquos etiam pro se, quatenus dimissa dicuntur debita, quæ liberalitate divina non contrahuntur.

*Nec obstat 2<sup>o</sup>.* Quod videatur esse arguenda alicujus *negligentiæ*, dum ea inscia remansit puer Jesus in Jerusalem. Nam negligentiam culpabilem non intervenisse ostendit opinio, utique prudenti nixa fundamento, qua existimabant illum esse in comitatu, scilicet cognatarum et notorum inter quos eum postea requirebant: sicut enim Christus suos parentes latere voluerat, quod in his, quæ Patris ejus cælestis erant, eum tum jam temporis oporteret esse; sic et iis etiam nihil debite sollicitudinis omittentibus potuit et voluit ad hunc finem se clam ab illis subducere, aut petita ab eis devotionis aut negotiorum causa tardantibus venia adeundi cognatos, his postea relictis redire ad templum.

*Nec obstat 3<sup>o</sup>.* Quod S. CHRYS., quem THEOPHYL. et EUTHYM. sequuntur, hom. 20. in Joan. (al. 21. n. 2.) putet B. Virginem ex quadam ostentatione petiisse miraculum fieri in nuptiis Cana, eamque reprehendi illis verbis: *Quid mihi et tibi, mulier?* Nam S. TH. p. 3. q. 27. a. 4. ad 3. notat in his verbis Chrysostomi excessum, atque hinc CYRILLUS, BERNARD. aliique Patres volunt petiitum fuisse miraculum ex necessitate, charitate ac pietate; unde nec illa verba Christi reprehensionem veram continent, ut ostendunt AUG., BEDA et ipse CHRYSOST. Videtur tamen tum hic, tum alibi, ubi Matth. 12. foris stans mater quærebat ei loqui, reprehendere; sive quod aliis videri poterat ex *inanis gloriæ* motu Mater petiisse; sive ut ostenderet, quod sicut

parentes in operibus Theandricis nihil habebant juris, ita nec eorum affectibus aut desideriis, sed Deo tantum et charitati illa sint tribuenda.

*Nec obstat 4<sup>o</sup>.* Quod juxta S. HIERON. supr. cit. Deo soli reservata sit *perpetuitas impeccantiæ*. Nam præterquam quod idem S. Doctor in Ps. 77. tribuat, B. Virginem nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; negat illi duntaxat impeccantiæ, quæ talis est ex natura, non autem participatam, ac ex privilegio: inter hanc vero et illam ac confirmationem in gratia habetur id discriminis, quod impeccantiæ etiam Christi ex natura fundetur in indecentia, quæ foret in Deo, si peccatum permitteret, aut relinqueret naturam cum naturali inclinatione ad peccatum; confirmatio autem in gratia excludat sola mortalia.

324. *Observa II.* Pro eodem privilegio aliis tribuendo simile fundamentum non habetur. Nam quamvis pro S. Joanne Baptista stet illud testimonium Christi Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*; tamen videtur comparatio solum esse instituta cum Prophetis V. T., ut indicat illa additio, quæ habetur Luc. 7. v. 28. *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est.* Præterea obstat locus S. AUG. L. de nat. et gr. supr. cit.

Notandum tamen hic venit et illud, quod idem L. de Sp. et litt. c. 2. n. 3. scripsit: *Quin etiamsi nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus; et tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur et putatur, quantum ego judicare possum, non multum erratur, nec perniciose.* Et paulo post, n. 4.: *Sed illis acerrime ac vehementissime resistendum est, qui putant, sine adjutorio Dei per se ipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.*

### CAPUT III.

#### DE EXISTENTIA GRATIÆ ACTUALIS.

#### ARTICULUS I.

##### QUÆ SIT NATURA GRATIÆ SUFFICIENTIS?

325. *Nota I.* *Gratiæ sufficientis in genere* spectatæ nomine intelligitur auxilium supernaturale, vi cujus præstatur sufficiens, h. e. necessaria et proportionata potentia operandi salutariter; sub qua ratione etiam gratia habitualis a S. THOMA nonnunquam vocatur sufficiens. *Proxime sufficiens* est auxilium tale, per quod in se receptum potest quis immediate aliquam operationem efficere sine interventu alterius prioris operationis, qua impetret majus auxilium: *remote sufficiens* est, quando homo needum recepit in se totum auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud paratum a

Deo, si ipse ad id se disponat, vel illud impetret. Atque hujus distinctionis fundamentum habetur in TRID. Sess. 6. c. 11., ubi dicitur: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis.* Magis tamen *specificè* et *proxime* sumpta gratia *sufficiens* dicitur gratia interior præveniens, quæ per se ipsam tribuit veram, plenam et expeditam potestatem salutariter operandi.

Potest autem spectari tripliciter: 1<sup>o</sup>. prout hanc potentiam conferre spectatur, sed præscinditur, an reipsa etiam conjungatur cum ipsa operatione, aut hæc non sequatur; et sic dicitur *præcise sufficiens*, atque opponitur gratiæ insufficienti: 2<sup>o</sup>. prout spectatur et hanc potentiam conferre, et simul esse conjuncta cum operatione seu actu; et sic dicitur *positive sufficiens*, atque eadem est cum gratia efficaci: 3<sup>o</sup>. prout spectatur quidem hanc potentiam conferre, sed simul carere effectu ob voluntatis resistantiam vel neglectum; et sic dicitur *negative* aut *pure sufficiens*, atque opponitur gratiæ efficaci.

326. *Nota II.* Cum gratia pure sufficiens duo dicat, unum *positivum*, nempe potentiam ad agendum, alterum *negativum*, scilicet carentiam operationis; de primo tanquam præcipuo hic unice loquimur. Controversia autem duplex hic oritur.

Altera *dogmatica*, ex Jansenii systemate, qui duplicem potentiam et duplicem etiam gratiam distinguit. Potentiam quidem aliam vocat *absolutam*, quæ competit gratiæ, spectata solum ipsius natura, et præcisus subjecti, cui conceditur, circumstantiis, maxime autem gradibus titillantis concupiscentiæ hic et nunc oppositæ; aliam *relativam*, quæ competit gratiæ etiam habito respectu ad circumstantias, ac prementem hic et nunc actualem concupiscentiam. Gratiam vero aliam dicit *magnam* et robustam, quæ, quia est delectatio cælestis gradibus ac intensione superans concupiscentiam hic et nunc prementem, vocatur efficax et victrix, atque perducit ad operis boni perfectionem; aliam *parvam*, quæ, quia gradibus inferior est opposita concupiscentia actuali, nec eam propter virium defectum superare potest, *victrix* non dicitur, neque ipsum opus bonum seu effectum plenum habere valet.

Hanc parvam tamen gratiam et Jansenius vult esse efficacem, quia boni desiderium inspirat, et voluntatem ad quosdam actus imperfectos non tantum indeliberatos, sed ad liberas etiam velleitates perducit; et *Janseniani* vocant sufficientem, imo sufficientissimam; quia, quamvis non tribuat potentiam relativam et ad circumstantias præsentis comparatam, tamen absolutam illam et a circumstantiis abstractam confert, et antecedente Dei voluntate ad bonum perfectum ordinatur, quod etiam reipsa existeret, si minus ipsi resisteret opposita cupiditas.

Altera *scholastica* de eo, utrum gratia sufficiens non tantum includat auxilia necessaria ad *posse*, sed etiam necessaria ad ipsum *operari*, atque hinc ad actualem operationem non requiratur altera gratia? Circa quam alii statuunt, gratiam sufficientem dare quidem *posse* bene agere, sed non sufficere, ut quis bene agat, ac proinde requiri aliud adhuc auxilium efficax ex se vel *prædeterminans*, ut ponatur actio: alii docent gratiam sufficientem sic continere omnia ad bene agendum necessaria, ut per eam bonum opus

sit in potestate hominis, isque id sine alio auxilio superaddito possit exequi; quo tamen modo loquendi nolunt ad gratiam sufficientem requiri etiam auxilium cooperans præter præveniens seu excitans, cum gratia *cooperans* non sit nisi in eo, qui reipsa agit, sed solum exigunt gratiam *proxime ac complete* sufficientem ita dare potentiam operandi, ut vel actu homini tribuat, quidquid ad actualem operationem necessarium est tanquam prævium et ab operatione distinctum ac separabile; vel in proxima ejus potestate constituat, quidquid ex parte Dei concomitanter necessarium est, etiamsi ab operatione hominis indistinctum dicatur.

327. *Dico I.* Nomine gratiæ vere sufficientis Ecclesia intelligit eam, quæ voluntati *expeditam, proportionatam ac relativam* etiam ad præsentis subjecti circumstantias potentiam confert ad opus bonum.

*Prob.* Si gratia in sensu Catholico sufficiens non exigeret potentiam etiam *relativam*, ergo nihil omnino obstaret, quo minus parva illa *Jansenii* gratia sensu Ecclesiæ diceretur sufficiens; quia illa confert absolutam ad bonum potentiam: sed parva illa gratia non potest sensu Ecclesiæ dici sufficiens; ergo: *Minor* constat ex eo, quia alias Ecclesia vel injuste condemnasset propositiones *Jansenii*, vel aliquod phantasma duntaxat *Jansenismi* esset persecuta, cum hac parva gratia tanquam sufficiente admissa omnes damnatæ propositiones in sensum Catholicum possent explicari et defendi.

Posset enim de 1<sup>a</sup>. dici nulla præcepta Dei esse absolute impossibilia, neque gratiam deesse justis, qua fiant *absolute* possibilia, quamvis aliqua præcepta sint impossibilia impossibilitate *relativa*, et gratia aliquando desit, qua fiant possibilia possibilitate *relativa*. De 2<sup>a</sup>. dici posset, aliquando quidem resisti gratiæ interiori quoad actum perfectum a Deo antecedenter intentum, et quem illa gratia *absolute* ac secundum se poterat obtinere; non tamen quoad actum, quem *relative*, seu hic et nunc ad præsentis circumstantias obtinere potest. De 3<sup>a</sup>. dicerent requiri libertatem a necessitate *absoluta* fixa et immobili, per quam homo absolute ac immobiliter sit necessitatus ad bonum, vel malum; non tamen a necessitate *relativa* ad præsentis circumstantias, ac respectiva jam ad hoc, jam ad oppositum. De 4<sup>a</sup>. eluderent Jansenistæ partis secundæ condemnationem, causati, non se negare quod voluntas possit resistere vel obtemperare gratiæ potentia *absoluta*, sed tantum *relativa*. De 5<sup>a</sup>. similiter prætenderent, Christum mortuum fuisse pro omnibus, quatenus illis dat gratias *absolute* sufficientes; et solum etiam pro prædestinatis, quia his unis dat gratias *relative* sufficientes.

*Conf. 1.* Ex auctoritate S. GREG. L. 9. MOR. c. 23. (al. 46. n. 71.) ita scribentis: *Quia, si mensuram judæa tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejecit, quo ultra vires onera imponit.* Et S. THOMÆ, qui p. 3. q. 62. a. 6. ad 3. *Minima*, inquit, *gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ ac mereri vitam æternam.* Et q. 70. a. 4. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ et vitare omne peccatum, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti.* Hæc quamvis S. Doctor enuntiet de gratia *habituali*, tamen, cum juxta eundem habitualis nunquam operetur, nisi per actualem, actualis ista minimæ etiam *habituali* juncta in ejus sensu con-

fert potentiam parem ac sufficientem contra concupiscentiam quamlibet et peccatum mortale.

*Conf. 2.* Ex possibilitate, utilitate et æquitate *mandatorum Dei*; item ex necessitate *gratiæ* ad ea servanda ac vincendas tentationes. Nisi enim gratia sufficiens tribueret vires pares sufficientes etiam comparative ad subjectum et concupiscentiam oppositam, hæc omnia stare non possent.

328. *Dico II.* Gratia sufficiens non dat tantum *posse*, sed etiam sufficit, ut homo cum ea ponat opus salutare: imo si præter eam requiretur aliud auxilium ex se efficax, vel prædeterminans ad hoc, ut homo ponat opus salutare, illa non foret gratia sufficiens.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Potentia non datur propter *posse*, tanquam terminum ultimum, sed propter *operari*, quia quidem formaliter constituit subjectum potens, sed in ordine ad operationem ut terminum; ergo et auxilium non est tantum ad posse, sed et operari; ergo si auxilium est vere sufficiens, debet dare sufficientiam non tantum ad posse, sed etiam ad operari.

*Conf.* Gratia sufficiens debet sufficere ad id, quod mandato divino præcipitur, et cujus ommissio punitur: sed mandato divino non præcipitur, ut possit, sed *ut faciat*; neque etiam in homine punitur, quod non potuerit, sed quod non fecerit; ergo et gratia sufficiens debet etiam sufficere, ad facere, sive ad ipsum opus salutare.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Illud auxilium *ex se* efficax necessarium ad hoc, ut ponatur opus, vel constituit actum primum proximum seu potentiam proximam agendi, vel illam non constituit, sed pertinet ad actum secundum: si 1<sup>um</sup>.; ergo omnis gratia sufficiens, utpote dicens potentiam proximam agendi, necessario inducit ipsam operationem, ac consequenter non dabitur alia sufficiens, nisi quæ sit efficax, qui est error Jansenii: si 2<sup>um</sup>.; ergo vel potentia agendi proxima habetur integra sine hoc auxilio, atque et hinc sine eo redigi in actum poterit; vel si sine auxilio illa nequeat redigi in actum, nec potentia agendi proxima, neque gratia sufficiens aderit.

*Conf.* Per gratiam sufficientem habetur, quod homini, opus bonum non facienti, imputetur carentia operationis tanquam *culpabilis*: sed si ad hoc, ut homo opus bonum agat, requiretur præter gratiam sufficientem aliud auxilium *ex se* efficax, carentia operationis non posset ut culpabilis imputari homini, opus bonum non facienti; uti constat in casu hominis justi primum peccantis; ergo si requiretur ad agendum auxilium *ex se* efficax, non haberetur gratia sufficiens.

329. *Dico III.* Gratia sufficiens *physice* consistit in aggregato ex gratiis excitantibus et principiis gratiæ adjuvantis.

*Ratio* est, quia gratia proxime et complete sufficiens debet esse tale auxilium, per quod homo habeat vel accepta, vel parata et in sua quasi manu omnia auxilia ad opus bonum faciendum necessaria: sed hoc omne consequitur homo per istud aggregatum. Nam 1<sup>o</sup>. Illustrationes supernaturales et piæ affectiones supernaturales, quæ necessariae sunt ad actus salutare, continentur in gratiis excitantibus: 2<sup>o</sup>. Sufficientia vero ad ipsam operationem, quæ necessaria est ad gratiam vere sufficientem, habetur in habitu supernaturali respectu

justorum, et in omnipotentia divina respectu non justorum, quæ sunt principia gratiæ adjuvantis: 3<sup>o</sup>. Priora quidem sunt in ipso homine recepta; posteriora vero ita parata et ad agendum prompta, ut quasi in manu sua habere homo dici possit; ergo.

*Conf.* Gratia præveniens adæquate sumpta includit tum gratias *excitantes*, tum *principium* supernaturale vel intrinsecum vel extrinsecum *physice* effectivum actus salutaris; et hoc sensu realiter ac entitative non distinguitur a gratia adjuvante. Sed gratia præveniens adæquate sumpta est gratia sufficiens; quia complectitur totum actum primum ad salutariter operandum: ergo gratia sufficiens includit tum gratias excitantes, tum principia gratiæ adjuvantis.

330. *Obj. contr. 1<sup>um</sup>.* Juxta S. AUG. L. de gr. et lib. arb. c. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit et robustam.* Quod confirmat exemplo S. Petri, de quo addit: *Tamen quamvis parva et imperfecta (charitas) non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Ergo datur gratia parva, cum qua possumus bonum velle, sed actu perficere non possumus. Atqui hæc parva gratia est gratia sufficiens; ergo.

R. Duo hic observanda sunt: 1<sup>o</sup>. Gratiam aliam esse *remote* sufficientem, seu talem, quæ sufficit ad impetrandum vel per orationem salutarem, vel aliam dispositionem similem, uberius Dei auxilium pro ipso opere salutari; aliam *proxime* sufficientem seu talem, quæ sufficit vel ad volendum, vel ad exequendum ipsum opus bonum: utramque autem respective ad difficultates oppositas superandas jam minus, jam magis, semper tamen simpliciter et absolute poterit esse. 2<sup>o</sup>. Gratiam sufficientem alterutram quidem semper a Deo dari, ubi *præceptum* aut *tentatio* urget; extra hos vero casus vel non semper has gratias concedi, vel tempore quidem opportuno non denegari, quin tamen illud a nobis designari possit.

His suppositis *T. Cons. D. subsumpt.* Atqui hæc gratia in sensu *Jansenii* parva est gratia sufficiens *N.* in sensu S. AUGUSTINI *subd.* est sufficiens vel remote vel proxime *C.* semper proxime *N. S. AUG.* ibidem c. 16. n. 32. docet, *Deum ideo jubere aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab ipso petere debeamus. Ipsa enim, inquit, fides est, quæ orando impetrat quod lex imperat.* Et c. 15. hæc præmiserat: *Ad hoc valet, quod scriptum est: Si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda præcepta.* Porro mirum non est, quod S. Petrus dicatur hic non habuisse gratiam sufficientem ad mortem obeundam; constat enim tunc etiam D. Petro non fuisse præceptum pro Christo mori; præterea aliam quoque esse gratiam ad volendum, aliam ad exequendum, sicut ipsum velle et exequi sæpe diversissima sunt.

*Inst. 1.* Delectatio *terrena* et inclinatio ad peccatum sæpe longe est intensior, quam delectatio *caelestis* et inclinatio ad actum bonum, ut patet maxime in consuetudinariis; ergo hæc delectatio *caelestis* vel gratia non potest esse *relative* sufficiens; aut si gratia sufficiens deberet dare vires relative proportionatas, sequeretur tum voluntatem semper oportere esse con-

stitutam in æquilibrio, tum perfectiorem esse dandam gratiam peccatoribus, quam justis; quæ dicere absurdum est.

R. D. Cons. quoad 1<sup>am</sup>. p. Non potest esse relative sufficiens, h. e. simpliciter et absolute potens ad resistendum tentationibus N. non potest esse relative sufficiens, h. e. talis, quæ difficultates etiam superet, aut exæquet C.

Quoad 2<sup>am</sup>. p. R. D. seq. 1<sup>am</sup>. Sequeretur voluntatem semper esse constitutam in æquilibrio potentiæ seu electionis C. in æquilibrio inclinationis seu propensionis, aut intensionis seu graduum N. Ad libertatem et imputabilitatem actionis requiritur quidem talis comparatio voluntatis, qua possit ex propositis sibi actionibus hanc vel illam ex propria determinatione eligere, hoc vel illud agere aut non agere, atque id genus æquilibrii præstatur a gratia sufficiente; quia *minima gratia* ex dictis sufficit ad resistendum cuilibet concupiscentiæ, et vitandum omne peccatum. Sicut vero ad libertatem non requiritur ea comparatio voluntatis, qua non magis propensa sit ad unam, quam alteram partem, aut majorem difficultatem in una præ altera actione non inveniatur; eo quod ejusmodi *propensio* aut *difficultas* necessitatem nullam inferat: sic etiam gratia sufficiens hoc æquilibrii genus nec præstat, nec conferre debet; adeoque illa gratiæ œconomia, quam quidam ad *mechanicæ leges* accommodant ac fingunt, plane rejicienda est, tanquam proxime deducens ad illationem necessitatis ac libertatis destructionem.

Similiter D. seq. 2<sup>am</sup>. Deberet dari gratia perfectior, si detur præcise ad obtinendum æquilibrio potentiæ ac electionis N. si daretur ad æquilibrio inclinationis vel intensionis C. Sed N. *supp.* quod ad illud dari debeat.

Inst. 2. Si gratia sufficiens diceret relativam potentiam faciendi bonum, nulla in homine daretur necessitas peccandi: sed hanc agnoscit S. AUGUSTINUS pluribus in locis, L. de nat. et gr. c. 66. n. 79. et L. 4. op. imp. n. 105.; ergo.

R. D. seq. M. Nulla daretur propria necessitas ad proprie peccandum C. nulla daretur necessitas impropria, h. e. magna inclinatio, aut consuetudo multum sollicitans ad peccandum, vel nulla necessitas ad peccatum improprie tale N. Postremo sensu intelligendus est S. AUG., qui primo loco nomine necessitatis sumit magnam ad peccatum inclinationem ex concupiscentiâ, vel consuetudine prava ortam; secundo autem loco vel idem indicat vel significat nomine peccati ipsam iterum concupiscentiam, cujus nempe indeliberati motus sunt peccatum metonymice, non autem proprie ac formaliter.

334. Obj. contr. 2<sup>am</sup>. Plura requiruntur ad actu agere, quam ad posse agere; sicut actu agere plus dicit, quam ipsum etiam proxime posse agere; ergo licet ad actu agere requiratur gratia *ex se* efficax, non tamen requiritur ad posse agere; adeoque potest esse gratia vere sufficiens, licet præter illam requiratur alia de se efficax.

R. D. A. Plura requiruntur ad actu agere, quam ad posse agere remote C. quam ad proxime posse agere *subd.* plura requiruntur formaliter et ex parte actionis, per quam causa denominatur agens C. plura causaliter, seu ex parte causæ aut alterius requisiti necessarii ad actionem N. Similiter ipsum agere plus dicit, quam posse agere, *formaliter*, quia dicit ipsam actionem seu influxum; non tamen *causaliter*, cum potentia non detur nisi *ad actum*,

adeoque si deesset aliquod requisitum necessarium ad actum, etiam ad potentiam proxime expeditam deesset.

Inst. 1. Ad gratiam vere sufficientem sufficit quod det actum primum proximum, licet non det actum secundum: sed gratia *Thomistice* sufficiens daret sine *prædeterminatione physica* actum primum proximum, licet non daret actum secundum; quia hæc utpote applicatio et motio physica potentiæ ad actum secundum tenet se solum ex parte actus secundi, licet non actus secundus; ergo.

R. D. M. Sufficit quod det actum primum proximum, licet non det actum secundum, si tamen includat, præsupponat, aut inferat omnia principia aut requisita necessaria ad actum secundum C. sin minus N. Jam vero cum gratia *Thomistice* sufficiens nec includat, nec præsupponat, nec inferat *prædeterminationem physicam*, imprimis ex hoc defectu non est vere sufficiens: deinde nec est sufficiens ratione sui, eo quod in *Thomistarum* principiis nequeat dare actum primum proximum: denique falsum videtur, *prædeterminationem physicam* tantum pertinere ad actum secundum; nam ut prævia motio potentiæ ad actum, non solum inter potentiam et actum mediat, sed etiam partim potentiam, partim actum afficere debet, adeoque debet et ad potentiam ex parte pertinere; alias enim comproductio actus duntaxat, non autem potentiæ *prædeterminatio* ad actum foret.

Inst. 2. Oculus est sufficiens principium ad videndum, licet *actu* nunquam videat sine lumine illuminante; ergo et voluntas pia affectione excitata est sufficiens principium ad salutariter agendum, licet *actu* nunquam agat sine gratia de se efficaci.

R. D. A. Oculus in hoc casu est principium remote sufficiens ad videndum C. proxime sufficiens N. Res ex se clara confirmatur testimonio S. AUGUSTINI, qui L. de gest. Pelag. *Sufficit*, inquit, *sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras: ad videndum vero lumine suo sibi non sufficit; nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur*. Ne tamen inter lumen istud et gratiam *de se* efficacem comparatio institui possit, facit ipsa necessitas luminis ad actum primum proximum videndi requisiti, præter quod nullum aliud medium est, quo facultas visiva videat et videre possit; cum ex adverso gratia *de se* efficax juxta ipsos adversarios potentiam proximam constituere nequeat, ac præter eam sufficiens gratia admittenda sit ad actum primum, ad actum autem secundum nequidem de se efficax a nobis admittatur.

Inst. 3. Licet *concursum Dei* in actu secundo juxta nos requiratur ad hoc, ut detur actus salutaris, tamen habens gratiam sufficientem est culpabilis, si ei non cooperetur; ergo id a pari tenet in systemate *Thomistarum*. *Conf.* Gratia sufficiens ut distincta ab efficaci includit *negationem consensus*: sed æque impossibile est operari cum auxilio includente *negationem consensus*, ac sine *prædeterminatione physica*, si illa simpliciter requiritur ad actum secundum; ergo si in sententia Thomistica non salvatur sufficienter libertas ad consensum, data sola gratia sufficiente, neque illa salvatur in sententia nostra.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia ex dictis patet, *prædeterminationem* non fore in libera hominis potestate; cum ex adverso *concursum Dei* in actu secundo sit in potestate illius libera, quia principium divini concursus, aut